

1980-01-02 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Beatae Mariae’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

BEATAE MARIAE

**TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS MATRIS BONI CONSILII,
IN LOCO CAPODIMONTE VULGARI SERMONE COGNOMINATO SURGENS, IN
ARCHIDIOECESI NEAPOLITANA, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Beatae Mariae Virginis laudem, gloriam et honorem usquequaque augeri, semper quidem et optavimus, et, quantum in Nobis maxime fuit, curavimus. Nam non solum est illa Christi Mater, ob quam excelsam dignitatem omnes creaturas antecedit, sed etiam mater nostra omnibus cumulata virtutibus, ad omnium nostrum exemplum, quotquot mortales ad caeli oras tendimus. Est praeterea «omnipotentia supplex», quae filiorum suorum preces non spernit. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Conradus S. R. E. Cardinalis Ursi, Archiepiscopus Neapolitanus, suo clerique fideliumque nomine ab hac Apostolica Sede petierit, ut templum Beatae Mariae Virginis Matris Boni Consilii, in loco Capodimonte vulgo cognominato in sua archidioecesi situm, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, structurae, artis, pulchritudinis eiusdem sacrae aedis ratione habita, tanti Fratris ac Praesulis precibus concedendum esse putavimus. Quae cum ita sint, iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuerit factis olim a Nobis facultatibus, apostolica Nostra auctoritate templum de quo sermo fuit B. M. V. ad honorem atque dignitatem Basilicae Minoris tollimus, cum iuribus atque privilegiis rite competentibus, iis tamen servatis, quae iuxta decretum «De titulo Basilicae Minoris» die sexto mensis Iunii factum, anno millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, servanda sunt. Confidimus autem ut aucto templi honore, etiam pietas erga divinam Christi Matrem augescat in pectoribus, in eius adorandi Filii laudem. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die II mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*